

corpus nostrum castigamus et servituti subijcimus¹, vel ad usus licitos et necessario relaxanda, vel continentia cohibenda. Sed quoniam divino Spiritu, qui multo melius quam nos omnia generis humani novit vel præterita, vel præsentia, vel futura, talis vita humana præcognita atque prædicta est, ut non justificetur in conspectu Dei omnis vivens²; fit ut per ignorantiam vel infirmitatem non exertis adversus eam totis viribus voluntatis, eidem ad illicita etiam nonnulla cedamus, tanto magis et crebrius quanto deteriores, tanto minus et rarius quanto meliores sumus. Sed quoniam de hac quæstione in qua quæritur, utrum possit, vel utrum sit, fuerit, futurusve sit homo sine peccato in hac vita, excepto illo qui dixit, « Ecce » venit princeps mundi, et in me nihil inveniet³, » aliquanto diligentius disserendum est, iste sit hujus voluminis modus, ut illud ab alio quæramus exordio.

¹ 1 Cor. ix, 27. — ² Psal. cxlii, 2. — ³ Joan. xiv, 30.

LIBER II.

Disputat Augustinus contra eos qui dicunt, quod in hac vita sint, fuerint, et futuri sint homines nullum habentes omnino peccatum: qua de re propositis quatuor questionibus, docet primo hominem in hac vita sine peccato esse posse per Dei gratiam et liberum ipsius arbitrium. Postea probat non esse tamen quemquam in hac vita degentem sine ullo prorsus peccato. Tertio, ideo non esse, quia nemo est qui tantum velit, quantum res exigit, dum vel latet quod justum est, vel facere non delectat. Quarto loco, nullum prorsus, excepto uno Mediatore Christo, vel esse, vel fuisse, vel futurum esse hominem ab omni peccato immunem.

I. De baptismo parvulorum, Marcelline charissime, quod non solum eis ad regnum Dei, verum etiam ad salutem vitamque æternam adipiscendam detur, quam sine Dei regno, et sine Christi salvatoris societate, in quam nos suo sanguine redemit, habere nullus potest, priore libro satis, ut arbitror, disputavimus. In hoc autem, vivat-ne aliquis in hoc sæculo, vel vixerit, victurusve sit sine ullo omnino peccato, excepto uno Mediatore Dei et hominum homine Christo Jesu, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus¹, quanta ipse donat diligentia vel facultate, disserendum enodandumque suscepi: cui disputationi si se identidem aliqua necessitate vel oportunitate inseruerit quæstio de baptismo vel peccato parvulorum, mirandum non erit, nec defugiendum ut

¹ 1 Tim. ii, 5.

eis locis ad omnia quæ responsionem nostram flagitant, sicut valemus respondeamus.

II. Hujus autem quæstionis solutio de hominis vita sine ulla subreptione vel præoccupatione peccati, propter quotidianas etiam nostras orationes maxime necessaria est. Sunt enim quidam tantum præsumentes de libero humanæ voluntatis arbitrio, ut ad non peccandum nec adjuvandos nos divinitus opinentur, semel ipsi naturæ nostræ concessio liberæ voluntatis arbitrio. Unde fit consequens, ut nec orare debeamus ne intremus in tentationem, hoc est, ne tentatione vincamur, vel cum fallit et præoccupat nescientes, vel cum premit atque urget infirmos. Quam sit autem noxium, et salutem nostræ, quæ in Christo est, perniciosum atque contrarium, ipsique religioni qua imbuti sumus, et pietati qua Deum colimus, quam vehementer adversum, ut pro tali accipiendo beneficio Dominum non rogemus, atque in ipsa Oratione Dominica, « Ne nos inferas in tentationem ¹, » frustra positum existimemus, verbis explicare non possumus.

III. Acute autem sibi videntur dicere, quasi nostrum hoc ullus ignoret, quod « Si nolumus, non peccamus; » nec præciperet Deus homini, quod esset humanæ im- » possibile voluntati. » Sed hoc non vident, quod ad nonnulla superanda, vel quæ male cupiuntur, vel quæ male metuuntur, magnis aliquando et totis viribus opus est voluntatis, quas nos non perfecte in omnibus adhibuit, qui per Prophetam veridice dici voluit, « Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens ². » Tales itaque nos futuros Dominus prævidens, quædam salubria remedia contra reatum et vincula peccatorum etiam post baptismum dare ac valere dignatus est, opera scilicet misericordiæ, cum ait: « Dimittite, et dimitte-

¹ Matth. vi, 13. — ² Psal. cxlii, 2.

» tur vobis; date, et dabitur vobis ¹. » Quis enim cum aliqua spe adipiscendæ salutis æternæ de hac vita emigraret, manente illa sententia, quod, « Quicumque totam » legem servaverit, offendat autem in uno, factus est om- » nium reus; » nisi post paululum sequeretur, « Sic lo- » quimini, et sic facite, tanquam per legem libertatis in- » cipientes judicari. Judicium enim sine misericordia illi » qui non fecit misericordiam. Superexaltat autem mise- » ricordia iudicio ². »

IV. Concupiscentia igitur tanquam lex peccati manens in membris corporis mortis hujus, cum parvulis nascitur, in parvulis baptizatis a reatu solvitur, ad agonem relinquitur, ante agonem mortuos nulla damnatione persequitur: parvulos non baptizatos reos innectit, et tanquam iræ filios, etiam si parvuli moriantur, ad condemnationem trahit. In grandibus autem baptizatis, in quibus jam ratione utentibus quidquid eidem concupiscentiæ mens ad peccandum consentit, propriæ voluntatis est, deletis peccatis omnibus, soluto etiam reatu, quo vincos originaliter detinebat, ad agonem interim manet, non sibi ad illicita consentientibus nihil omnino nocitura, donec absorbeatur mors in victoriam ³, et pace perfecta nihil quod vincatur existat. Consentientes autem sibi ad illicita reos tenet, et nisi per medicinam pœnitentiæ et opera misericordiæ per cœlestem sacerdotem pro nobis interpellantem sanentur, ad secundam mortem damnationemque perducit. Propter hoc et Dominus orare nos docens inter cætera monuit ut dicamus: « Dimitte nobis » debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nos- » tris, et ne nos inferas in tentationem, sed libera nos a » malo ⁴. » Manet enim malum in carne nostra, non na-

¹ Luc. vi, 37. — ² Jacob. ii, 10-12. — ³ 1 Cor. xv, 54. — ⁴ Matth. vi, 12 et 13.

tura in qua divinitus creatus est homo, sed vitio quo voluntate prolapsus est, ubi amissis viribus, non ea qua vulneratus est, voluntatis facilitate sanatur. De hoc malo dicit Apostolus: « Scio quoniam non habitat in carne » mea bonum¹. » Cui malo non obedire præcipit, cum dicit: « Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus². » Si ergo his desideriis concupiscentiæ carnis illicita voluntatis inclinatione consensimus; ad hoc sanandum dicimus: « Dimitte » nobis debita nostra³: » adhibentes remedium ex opere misericordiæ, in eo quod addimus: « Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. » Ut autem non ei consentiamus deprecamur adjutorium dicentes: « Et ne nos » inferas in tentationem⁴: » (vel sicut nonnulli codices habent: « Ne nos inducas in tentationem, ») non quod ipse Deus tali tentatione aliquem tentat; « Nam Deus in » tentator malorum est, ipse autem neminem tentat⁵: » sed ut si forte tentari coeperimus a concupiscentia nostra, adjutorio ejus non deseramus, ut in eo possimus vincere, ne abstrahamur illecti. Deinde addimus quod perficietur in fine, « Cum absorbebitur mortale a vita⁶: Sed » libera nos a malo⁷. » Tunc enim nulla erit talis concupiscentia, cum qua certare, et cui non consentire jubeamur. Sic ergo totum hoc in tribus beneficiis positum breviter peti potest: Ignosce nobis ea in quibus sumus abstracti a concupiscentia, adjuva ne abstrahamur a concupiscentia, aufer a nobis concupiscentiam.

V. Ad peccandum namque non adjuvamus a Deo: justa autem agere vel justitiæ præceptum omni ex parte implere non possumus, nisi adjuvemur a Deo. Sicut enim corporis oculus non adjuvatur a luce, ut ab eadem luce

¹ Rom. vii, 18. — ² Rom. vi, 22. — ³ Matth. vi, 12. — ⁴ Ibid. 13. — ⁵ Jacob. i, 13. — ⁶ 2 Cor. v, 4. — ⁷ Matth. vi, 13.

DE PECCATORUM MERITIS ET REMISSIONE, LIB. II. 337
 clausus aversusve discedat, ut autem videat adjuvatur ab ea, neque hoc omnino nisi illa adjuverit, potest: ita Deus, qui lux est hominis interioris, adjuvat nostræ mentis obtutum, ut non secundum nostram, sed secundum ejus justitiam boni aliquid operemur. Si autem ab illo avertimur, nostrum est; et tunc secundum carnem sapimus, tunc concupiscentiæ carnis ad illicita consentimus. Conversos ergo Deus adjuvat, aversos deserit. Sed etiam ut convertamur, ipse adjuvat: quod certe oculis corporis lux ista non præstat. Cum ergo nobis jubet dicens: « Convertimini ad me, et convertar ad vos¹; » nosque illi dicimus: « Convertite nos, Deus sanitarum nostrarum, » et Deus virtutum converte nos²: » quid aliud dicimus, quam: Da quod jubes? Cum jubet dicendo: « Intelligite » ergo qui insipientes estis in populo³; » et nos illi dicimus: « Da mihi intellectum, ut discam mandata tua⁴: » quid aliud dicimus, quam: Da quod jubes? Cum jubet dicendo: « Post concupiscentias tuas non eas⁵; » nosque dicimus: « Scimus quia nemo potest esse continens, nisi » Deus det⁶: » quid aliud dicimus, quam: Da quod jubes? Cum jubet dicendo: « Facite justitiam⁷: » nosque dicimus: « Doce me justificationes tuas⁸: » quid aliud dicimus, quam: Da quod jubes? Item cum dicit: « Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi » turabuntur⁹: » a quo debemus petere cibum potumque justitiæ, nisi ab illo qui esurientibus eam et sitientibus promittit ejus saturitatem.

VI. Repellamus ab itaque auribus et mentibus nostris eos qui dicunt, accepto semel liberæ voluntatis arbitrio, nec orare nos debere, ut Deus nos adjuvet, ne peccemus.

¹ Zach. i, 3. — ² Psal. lxxxiv, et lxxxix, 8. — ³ Id. xciii, 8. — ⁴ Id. cxviii, 73. — ⁵ Eccli. xviii, 30. — ⁶ Sap. viii, 21. — ⁷ Isai. lvi, 1. — ⁸ Psal. cxviii, 12. — ⁹ Matth. v, 6.

Talibus tenebris nec Pharisæus ille cæcatur, qui quamvis in hoc erraret, quod sibi addendum ad justitiam nihil putabat, seque arbitrabatur ejus plenitudine saturatum; Deo tamen gratias agebat, quod non esset sicut cæteri homines, injusti, raptores, adulteri, sicut ille Publicanus, quod bis in sabbato jejunaret, quod omnium quæ possidebat, decimas daret¹. Nihil sibi addi ad justitiam jam petebat: sed tamen ex iis quæ habebat, gratias Deo agendo, ab illo se accepisse omnia fatebatur: et tamen improbatus est, et quia veluti saturatus nihil de alimentis justitiæ jam rogabat accipere, et quod eam Publicano esurienti ac sitiendi se velut insultans præferre gestiebat. Quid ergo illis fiet, qui et si fateantur se non habere, vel non plenam habere justitiam; tamen a se ipsis habendam, non a suo Creatore, ubi horreum ejus et fons ejus est, deprecandam esse præsumunt? Nec ideo tamen solis de hac re votis agendum est, ut non subinferatur adnitendo etiam nostræ efficacia voluntatis. « Adjutor enim » noster Deus² » dicitur, nec adjuvari potest, nisi qui etiam aliquid sponte conatur. Quia non sicut in lapidibus insensatis, aut sicut in eis in quorum natura rationem voluntatemque non condidit, salutem nostram Deus operatur in nobis. Cur autem illum adjuvet, illum non adjuvet; illum tantum, illum autem non tantum: istum illo, illum isto modo; penes ipsum est et æquitatis tam secretæ ratio, et excellentia potestatis.

VII. Nam qui dicunt esse posse in hac vita hominem sine peccato, non est eis continuo incauta temeritate ob-sistendum. Si enim esse posse negaverimus, et hominis libero arbitrio, qui hoc volendo appetit, et Dei virtuti vel misericordiæ, qui hoc adjuvando efficit, derogabimus. Sed alia quæstio est, utrum esse possit; alia, utrum

¹ Luc. xvii, 11. — ² Psal. xvi, 9.

DE PECCATORUM MERITIS ET REMISSIONE, LIB. II. 339
sit; alia, si non est cum possit esse cur non sit; alia utrum qui omnino nunquam ullum peccatum habuerit, non solum quisquam sit, verumetiam potuerit aliquando esse vel possit. In hac quadripartita propositione quæstionum si a me quærat, utrum homo sine peccato possit esse in hac vita, confitebor posse per Dei gratiam et liberum ejus arbitrium: ipsum quoque liberum arbitrium ad Dei gratiam, hoc est, ad Dei dona pertinere non ambigens, nec tantum ut sit, verumetiam ut bonum sit, id est, ad faciendâ mandata Domini convertatur: atque ita Dei gratia non solum ostendat quid faciendum sit, sed adjuvet etiam ut possit fieri quod ostenderit. Quid enim habemus quod non accepimus¹? Unde et Jeremias dicit: « Scio, Domine, quia non est in homine via ejus, » nec viri est ut ambulet et dirigat gressus suos². » Hinc et in Psalmis cum quidam dixisset Deo: « Tu præcepisti » mandata tua custodiri nimis: » continuo non de se præsumpsit, sed optavit ut faceret: « Utinam, inquit, » dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas: » tunc non confundar, dum inspicio in omnia mandata » tua³. » Quis autem optat quod in potestate sic habet, ut ad faciendum nullo indigeat adjumento? A quo autem id optet, quia non a fortuna, vel a fato, vel a quolibet alio præter Deum in consequentibus satis ostendens: « Itinera mea, inquit, dirige secundum verbum tuum; » et non dominetur mihi omnis iniquitas⁴. » Ab hujus execranda dominationis servitute liberantur, quibus Dominus Jesus (eum recipientibus) dedit potestatem filios Dei fieri⁵. Ab ista horrenda dominatione liberandi fuerant, quibus dicit: « Si vos Filius liberaverit, tunc » vere liberi eritis⁶. » His atque hujusmodi aliis innume-

¹ 1 Cor. iv, 7. — ² Jerem. x, 23. — ³ Psal. cxviii, 4 — ⁴ Ibid. 133. — ⁵ Joan. 1, 12. — ⁶ Id. viii, 36.

rabilibus testimoniis dubitare non possum, nec Deum aliquid impossibile homini præcepisse, nec Deo ad opitulandum et adjuvandum, quo fiat quod jubet, impossibile aliquid esse. Ac per hoc potest homo, si velit, esse sine peccato, adjutus a Deo.

VIII. Si autem quod secundo loco posueram, quaeratur utrum sit, esse non credo, magis enim credo Scripturæ dicenti: « Ne intres in iudicium cum servo tuo, » quoniam non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens¹. » Et ideo misericordia Dei opus est, quæ superexaltat iudicio, quæ illi non erit qui non facit misericordiam². Et quod Propheta cum diceret: « Dixit: » Pronuntiabo adversus me delictum meum Domino, et » tu dimisisti impietatem cordis mei: » continuo subjunxit: « Pro hac orabit ad te omnis Sanctus in tempore » opportuno³, » non ergo omnis peccator, sed omnis Sanctus: vox enim Sanctorum est, « Si dixerimus quia » peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est⁴. » Unde in ejusdem Apostoli Apocalypsi, illa « Centum quadraginta et quatuor millia » Sanctorum, qui se cum mulieribus non coinquinaverunt, virgines enim permanserunt; et non est inventum » in ore eorum mendacium, quia irreprehensibiles sunt⁵; » profecto ideo irreprehensibiles sunt, quia se ipsos veraciter reprehenderunt: et ideo non est inventum in ore eorum mendacium⁶, quia si dicerent se peccatum non habere, se ipsos deciperent, et veritas in eis non esset⁷; et utique mendacium esset, ubi veritas non esset: quoniam justus, cum in sermonis exordio accusator sui est, non utique mentitur.

IX. Ac per hoc in eo quod scriptum est: « Qui natus

¹ Psal. cxlii, 2. — ² Jacob. ii, 15. — ³ Psal. xxxi, 5. — ⁴ 1 Joan. i, 8. — ⁵ Apoc. xiv, 4, 5. — ⁶ Prov. xviii, 17. — ⁷ 1 Joan. iii, 9.

» est ex Deo, non peccat, et non potest peccare, quia semen ejus in ipso manet¹: » et si quid aliud eo modo dictum est, multum falluntur minus considerando Scripturas. Non enim advertunt, eo quosque fieri filios Dei, quo esse incipiunt in novitate spiritus, et renovari in interiori hominem secundum imaginem ejus qui creavit eos. Non enim ex qua hora quisque baptizatur, omnis vetus infirmitas ejus absimitur; sed renovatio incipit a remissione omnium peccatorum, et in quantum quisque spiritalia sapit, qui jam sapit. Cætera vero in spe facta sunt, donec etiam in re fiant, usque ad ipsius corporis renovationem in meliorem statum immortalitatis et incorruptionis, qua induemur in resurrectione mortuorum. Nam et ipsam Dominus regenerationem vocat, non utique talem qualis fit per baptismum, sed in qua etiam in corpore perficietur quod nunc spiritu inchoatur. « In regeneratione, inquit, cum sederit Filius hominis in sede » majestatis suæ, sedebitis et vos super duodecim sedes » judicantes duodecim tribus Israël². » Nam in baptismo quamvis tota et plena fiat remissio peccatorum, tamen si continuo tota et plena etiam hominis in æternam novitatem mutatio fieret, non dico et in corpore, quod certe manifestum est adhuc in veterem corruptionem atque in mortem tendere, in fine postea renovandum, quando vere tota novitas erit: sed excepto corpore, si in ipso animo qui est homo interior, perfecta in baptismo novitas fieret, non diceret Apostolus: « Et si exterior homo noster cor- » rumpitur, sed interior renovatur de die in diem³. » Profecto enim qui de die in diem adhuc renovatur, nondum totus est renovatus, et in quantum nondum est renovatus, in tantum adhuc in vetustate est. Proinde ex hoc quod adhuc in vetustate sunt, quamvis jam baptizati,

¹ Joan. iii, 9. — ² Coloss. iii, 10. — ³ Matth. xix, 28. — ⁴ 2 Cor. iv, 16.

ex hoc etiam adhuc sunt filii sæculi. Ex hoc autem quod in novitate sunt, hoc est, ex plena et perfecta remissione peccatorum et quantumcumque illud quod est spiritualiter sapiunt eique congruos mores agunt, filii Dei sunt. Intrinsicus enim exuimus veterem hominem, et induimus novum¹: quoniam ibi deponimus mendacium, et loquimur veritatem et cætera quibus Apostolus explicat quid sit exui veterem hominem, et indui novum, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis. et hoc ut faciant, jam baptizatos fidelesque adhortatur: quod adhuc monendi non essent, si hoc in baptismo jam perfecte factum esset: et tamen factum est, sicut et salvi facti sumus. «Salvos enim nos fecit per lavacrum» regenerationis². » Sed alio loco dicit, quemadmodum hoc factum est. «Non solum, inquit, sed etiam nos ipsi» primitias habentes spiritus et ipsi in nobismetipsis in» gemiscimus, adoptionem expectantes, redemptionem» corporis nostri. Spe enim salvi facti sumus. Spes autem» quæ videtur, non est spes. Quod enim videt quis, quid» sperat? Si autem quod non videmus speramus per patientiam expectamus³. »

X. Adoptio ergo plena filiorum in redemptione fiet etiam corporis nostri. Primitias itaque spiritus nunc habemus, unde jam filii Dei re ipsa facti sumus: in cæteris vero spe sicut salvi, sicut innovati, ita et filii Dei; re autem ipsa quia nondum salvi, ideo nondum plene innovati, nondum etiam filii Dei, sed filii sæculi. Proficimus ergo in renovationem justamque vitam per quod filii Dei sumus, et per hoc peccare omnino non possumus, donec totum in hoc transmutetur, etiam illud quod adhuc filii sæculi sumus: per hoc enim et peccare adhuc possumus.

¹ Ephes. iv, 22. — ² Tit. ii, 5. — ³ Rom. viii, 23.

Ita fit, ut et qui natus est ex Deo¹, non peccet: et si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipiamus, et veritas non sit in nobis. Consumetur ergo quod filii carnis et sæculi sumus, et perficietur quod filii Dei et spiritu renovati sumus. Unde idem Joannes: «Dilectissimi, inquit, nunc filii Dei sumus, et nondum» apparuit quid erimus⁴. » Quid est hoc: «Sumus et erimus,» nisi quia sumus in spe, erimus in re? Nam sequitur, et dicit: «Scimus quia cum apparuerit, similes erimus, quoniam videbimuseum sicuti est.» Nunc ergo et ei similes esse jam cœpimus, primitias habentes spiritus; et adhuc dissimiles sumus, per reliquias vetustatis. Proinde in quantum similes, in tantum regenerante spiritu filii Dei: in quantum autem dissimiles, in tantum filii carnis et sæculi. Illinc ergo peccare non possumus: hinc vero si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus: donec totum transeat in adoptionem, et non sit peccator, et quæras locum ejus et non invenias⁵.

XII. Frustra itaque nonnulli etiam illud argumentantur ut dicant: «Si peccator genuit peccatorem, ut parvulo» ejus reatus originalis peccati in baptismi acceptione» solvatur; etiam justus justum gignere debuit⁴. » Quasi ex hoc quisque carnaliter gignat quod justus est, et non ex hoc quod in membris ejus concupiscentialiter movetur, et ad usum propagandi lex peccati mentis lege convertitur. Ex hoc ergo gignit quod adhuc vetustum trahit inter filios sæculi, non ex hoc quod in novitatem promovit inter filios Dei. «Fili enim sæculi hujus generant et» generantur⁵. » Inde et quod nascitur tale est, quia et

¹ 1 Joan. ii, 9, et 1 Joan. i, 8. — ² 1 Joan. iii, 8. — ³ Psal. xxxvi, 10. — ⁴ Vide infra cap. 25. et lib. i. de n. m. c. 18. et lib. 6. contra Jul. c. 5. — ⁵ Luc. xx, 34.

« Quod nascitur de carne caro est ¹. » Justi autem non sunt nisi filii Dei. In quantum autem sunt filii Dei, carne non gignunt; quia spiritu et ipsi, non carne nati sunt. Sed ex hoc carne gignunt, quicumque eorum gignunt, ex quo nondum in novitatem perfectam totas vetustatis reliquias commutarunt. Unde quisquis filius de hac parte nascitur vetusta et infirma, necesse est ut etiam ipse vetustus sit et infirmus: idcirco oportet ut etiam ipse in aliam generationem per remissionem peccati spiritu renovetur. Quod si in eo non fit, nihil ei proderit pater justus; spiritu enim justus est, quo eum non genuit: si autem fit, nihil ei oberit etiam pater injustus: iste enim gratia spiritali in spem novitatis æternæ transitum fecit; ille autem mente carnali totus in vetustate permansit.

XII. Non igitur contrarium testimonium est: « Qui natus est ex Deo, non peccat ², » ei testimonio quo jam natis ex Deo dicitur: « Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est ³. » Quandiu enim homo quamvis totus spe jam, et jam in re ex parte regeneratione spiritali renovatus, adhuc tamen portat corpus quod corrumpitur et aggravat animam; quid quo pertineat, et quid unde dicatur, etiam in uno homine distinguendum est. Nam, ut ego arbitror, non facile cuiquam Scriptura Dei tam magnum justitiæ perhibet testimonium, quam tribus famulis ejus, Noë, Daniel, et Job ⁴, quos Ezechiel propheta dicit ab imminente quadam iracundia Dei solos posse liberari: in tribus utique illis viris tria quædam hominum liberanda genera præfigurans, in Noë, quantum arbitror, justos plebium præpositos, propter arcæ tanquam Ecclesiæ gubernationem; in Daniele, justos continentis; in Job, justos conjugatos: et si quis est forte alius intellectus, de quo

¹ Joan. III, 6. — ² 1 Joan. III, 9. — ³ Id. I, 8. — ⁴ Ezech. XIV, 14.

nunc non est necesse disquirere. Verumtamen quanta isti justitia præeminuerint, et hoc prophetico, et aliis divinis testimoniis satis apparet. Nec ideo quisquam sobrius dixerit ebrietatem non esse peccatum, quæ tamen subrepsit tanto viro ¹: nam Noë, sicut legimus, fuit aliquando ebrius, quamvis absit ut fuerit ebriosus.

XIII. Daniel vero post orationem quam fudit Deo, de se ipse dicit: « Cum orarem, et confiterer peccata mea, » et peccata populi mei Domino Deo meo ². » Propterea, nisi fallor, per supra memoratum Ezechielem cuidam superbissimo dicitur: « Numquid tu sapientior quam Daniel ³? » Neque hic dici potest, quod quidam contra Orationem Dominicam argumentantur: « Quia etsi orabant eam, inquit, sancti et perfecti jam apostoli, » nullum omnino habentes peccatum, non tamen pro se » ipsis, sed pro imperfectis et adhuc peccatoribus dicebant: Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Ut per hoc, inquit, quod » dicerent nostra, in uno esse corpore demonstrarent, et » illos adhuc habentes peccata, et se ipsos qui jam carebant omni ex parte peccato. » In Daniele certe hoc non potest dici, qui, ut credo, tanquam propheta prævidens hanc aliquando præsumptionem futuram, cum in oratione sæpe dixisset: « Peccavimus: » non ita nobis exposuit, cur hoc dixerit, ut ab illo audiremus, » Cum orarem, et » confiterer peccata populi mei Domino Deo meo: » nec adhuc distinctione confusa ut esset incertum propter unius corporis societatem si diceret: Cum peccata nostra confiterer Domino Deo meo; sed omnino tam distincte, tanquam de ipsa distinctione satagens, eamque maxime vehementerque commendans: « Peccata, inquit, mea, et » peccata populi. » Quis huic evidentiæ contradicit, nisi

¹ Gen. IX, 21. — ² Dan IX, 20. — ³ Ezech. XXVIII, 3. — ⁴ Matth. VI, 22.

quem plus delectat defensare quod sentit, quam quid sentiendum sit invenire?

XIV. Job autem post tam magnum de illo justitiæ testimonium Dei, quid dicat ipse videamus. « In veritate, » inquit, scio quia ita est ¹. Quemadmodum enim justus » erit homo ante Dominum? si autem velit contendere » cum eo non poterit obedire ei? » Et paulo post: « Quis, » inquit, iudicio ejus adversabitur? quod si fuero justus, » os meum impie loquetur ². » Iterum paulo post: « Scio, » inquit, quia impunitum me non dimittit. Quia sum im- » pius, quare non sum mortuus? quod si purificatus nive, » et mundatus fuero mundis manibus, sufficienter in sordi- » bus me tinxisti ³. » Item in alio suo sermone: « Quia con- » scripsisti, inquit, adversus me mala, et induisti me » juventutis meæ peccata, et posuisti pedem meum in » prohibitione, servasti omnia opera mea, et in radices » pedum meorum inspexisti, qui veterascunt sicut iter, » vel sicut vestimentum a tinea comestum. Homo enim » natus ex muliere parvi est temporis, et plenus iracun- » dia, et sicut flos cum floruit et decidit, discessit sicut » umbra, non manet. Nonne et hujus curam fecisti venire » in iudicium tuum? quis enim erit mundus a sordibus? » Nemo, nec si unius diei fuerit vita ejus ⁴. » Et paulo post: « Dinumerasti, inquit, omnes necessitudines meas, » et nihil te latuit de peccatis meis: signasti peccata mea » in folliculo, et annotasti si quid invitus commisi ⁵. » Ecce et Job confitetur peccata sua, et in veritate se dicit scire, quia non est justus quisquam ante Dominum. Et ideo iste hoc in veritate scit, quia si nos dixerimus non habere peccatum, ipsa veritas in nobis non est ⁶. Proinde secundum modum conversationis humanæ, perhibet ei Deus

¹ Job. ix, 2. — ² Ibid. 19. — ³ Ibid. 28. — ⁴ Id. xiii, 26. — ⁵ Id. xiv, 1. — ⁶ Ibid. 16. — ⁷ I Joan. i, 8.

tam magnum justitiæ testimonium: ipse autem se metiens ex regula illa justitiæ, quam sicut potest conspicit apud Deum, in veritate scit quia ita est. Et adjungit: « Quem- » admodum enim justus erit homo ante Dominum? Si » enim velit contendere cum eo, non poterit obedire ei: » id est, si iudicandus ostendere voluerit, non in se inve- niri posse quod damnet, non poterit obedire ei: amittit enim etiam illam obedientiam, qua obedire possit præcipienti confitenda esse peccata. Unde quosdam increpat dicens: « Quid vultis mecum iudicio contendere ¹? » quod ille præcavens: « Ne intres, inquit, in iudicium cum servo » tuo, quoniam non justificabitur in conspectu tuo om- » nis vivens ². » Ideo etiam dicit Job: « Quis enim iudicio » ejus adversabitur? quod si fuero justus, os mecum im- » pie loquetur: » hoc est enim, si me justum dixerò contra iudicium ejus, ubi perfecta illa justitiæ regula me convincit injustum, profecto impie loquetur os meum, quia contra Dei veritatem loquetur.

XV. Fragilitatem quoque ipsam, vel potius damnationem carnalis generationis ostendens ex originalis transgressionis peccati, cum de peccatis suis ageret, velut eorum causas reddens, dixit hominem natum ex muliere parvi esse temporis, et plenum iracundia: qua iracundia, nisi qua sunt omnes, sicut dicit Apostolus, « Natu- » raliter, hoc est, originaliter, iræ filii ³? » quoniam filii sunt concupiscentiæ carnis et sæculi. Ad ipsam iram pertinere etiam mortem hominis consequenter ostendens. Cum enim dixisset: « Parvi est temporis, et plenus ira- » cundia, » addidit etiam: « Et sicut flos cum floruit et » decidit, discessit sicut umbra, non manet. » Cum autem subjungit: « Nonne et hujus curam fecisti venire in » iudicium tuum? Quis enim erit mundus a sordibus?

¹ Jerem. ii, 29. — ² Psal. cxlii, 2. — ³ Ephes. ii, 3.